

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Samuelis De Cocceji, Henr. Fil. Sacræ Regiæ Majestatis
Borussicæ Magni Cancellarii, A Consiliis Sanctioribus
Status Et Rei Bellicæ, Ordinis Nigræ Aquilæ Equitis Etc.
Jus Civile Controversum Ubi ...**

Opus Ad Illustrationem Compendii Lauterbachiani ...

Cocceji, Samuel von

Lipsiæ, 1766

De Contractibus Innominatis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-9044

OBJ. (2) §. p. f. h. ibi: *qualem diligentissimus quisque &c.*

RESP. Hoc singulare est in his rebus, scil. vestimentorum aut jumenti, quæ singularem curam & exactiorem diligentiam requirunt.

OBJ. (3) L. 25. §. p. h.

RESP. Loquitur de locatione operæ, ubi levissima præstatur. Vid. *supra q. 30.*

OBJ. (4) L. 14. §. 16. *furt.* L. 25. §. p. L. 13. §. 6. h. l. 13. §. 7. *de liberal. causa.* Ubi periculum ad locatorem pertinere dicitur.

RESP. Periculum est omnis actus quo res perit, ut vero res pereat, non tantum fieri potest per casum fortuitum, sed & culpa. Uti si non adhibet mediam diligentiam, hujus ergo periculum ad eum pertinet.

Qv. XLIII. *An conductor quoque præstet culpam suorum domesticorum?*

RESP. Non aliter quam si male elegit, tum enim est quod ipsi imputari potest. *Laut. pag. 390. verb. Culpam famulorum &c.*

OBJ. (1) L. p. l. f. *Naut. caup.* Ubi dominus tenetur ex factis eorum quorum opera utitur.

RESP. Agitur ibi de eo, qui publice proficitur securitatem: is ergo actione ex quasi delicto, & mala electione. Vid. *supr. L. 4. t. 9. q. 5. & 6.*

OBJ. (2) L. 30. §. 4. h.

RESP. Ibi conductor hoc recepit ex speciali pacto adjecto quod servandum est.

DE

CONTRACTIBUS INNOMINATIS.

Qv. I. *Quaenam sit origo contractuum innominatorum?*

RESP. Origo contractuum innominatorum apparet ex iis, quæ dixi *supra tit. de Pact. q. 9.* Latius enim ibi explicavi omnem obligationem oriri ex Synallagmate, seu commutatione jurium: adeo sunt &c. *Laut. pag. 392. verb. Contractus innominati*



adeo ut eo momento, quo apparet jus in alterum translatum, obligatio incipiat: Hic autem animus transferendi juris *vel* ex certis nominibus, a Gentibus ad id introductis, apparet, *l. 7. pr. & §. seq. Pact. L. 1. §. 7. de permut.* quod fit in omnibus contractibus nominatis; *vel* ex ipso facto, quo jus in alterum transfertur: Ibi ergo non opus fuit certum nomen exprimere, cum ex ipsa datione &c. animus transferendi juris, si-
ve Synallagma appareat; indeque hi contractus innominati vocantur, *L. 1. l. 2. l. 3. ff. de P. V.*

Qv. II. *An contractus innominati requirant unius partis actualem praestationem?*

Laut. pag. 392. verb. Requiritur unius partis &c. **A**FFIRMATUR: Nam hic non est alius modus cognoscendi Synallagma, si-
ve animus transferendi juris, nisi ex facto. Vide *quaest. praeced.* Idque merito praxi receptum testatur Autor *p. 392.*
Effectus est, quod ante actualem hanc praestationem nulla fit obligatio, sed nudi tractatus, ita ut uterque tuto poenitere possit. Vide *tit. de pact. q. 11. & infra tit. de permut. q. 8.*

Qv. III. *An dentur contractus innominati, qui ad nominatos quam proxime accedunt, & certum nomen habent?*

Laut. pag. 392. verb. Et ad nominatos quam &c. **R**ESP. Verum est dari contractus innominatos, qui nomen habent, uti aestimatorius & permutatio, vide *l. 19. tit. 3. & 4.* at nomen illud non est speciale isti negotio, *l. 1. pr. de aestimat.* neque natura negotii eo exprimitur, neque actio certi nominis inde datur: Sed illa nomina nihil aliud sunt, quam qualitates actionis de praescriptis verbis: Indeque sunt ipsae actiones de praescriptis verbis cum qualitate aestimatoriae vel permutationis, de quo plenius *infra tit. 5. q. 1.* Maxime ergo distant hujusmodi contractus innominati a nominatis. Vide *l. 1. pr. de aestimatoria.*

DE

ÆSTIMATORIA.

Qv. I. Quid sit contractus aestimatorius?

RESP. Contractus aestimatorius est negotium, quo res aestimata v. g. *Laut. pag. 392. verb. 392. verb. Contractus aestimatorius etc.* vendenda datur, ut accipiens aut rem ipsam aut ejus pretium restituat. *L. 1. pr. & §. 1. h. L. 5. §. 1. de Praescr. verb.*

Hoc negotium dubium olim fuit, num sit locatio, num conductio operæ, num mandatum, num emtio venditio: Ideoque non actio inde datur ex contractu, sed ex re gesta, & descriptione negotii, præscriptisque verbis.

Hoc enim solent JCTi ita observare, ut si de nomine contractus ambigeretur, conveniret tamen actionem dari, præscriptis verbis actio datur, *L. 1. pr. h. L. 1. & seq. ff. de P. V.* Atque ita si gratuita habitatio conceditur, cum non appareat, an sit precarium commodatum, datur actio præscriptis verbis. *l. 5. pr. præscr. verb. ibique Goth.* Sic & porro, cum olim dubitaretur, qualenam actio datur, si alicui fundus venditur ea lege, ut oblato pretio quandocunque restitueretur, & per emtorem stet quo minus offerri possit, decisum fuit præscriptis verbis actionem dari, *L. 2. C. pact. int. emt. L. 50. Contr. Emt.* Etsi postea quoque actio venditi accesserit, quia tum per eum non stat satisfecisse conditioni videtur. *dd. II.* Pariter ergo in hoc contractu aestimatorio dubitabatur, qualenam sit negotium, quia & venditio & locatio & mandatum videri poterat, at cum in quibusdam a singulis his negotiis recedat, merito proprium negotium inde factum, propriaque actio, scilicet præscriptis verbis aestimatoria, inde data est, *L. 1. h. t.*

Forma ergo hujus negotii consistit in datione aestimata rei sub lege ut vendatur, *L. 1. pr. h.* Quo ipso ab omnibus aliis negotiis, ut venditione, locatione operarum, mandato &c. differt. vide *q. 3. & seq.*

Qv. II. An in contractu aestimatorio transferatur dominium?

NEGATUR: (I) Quia olim id ipsum dubitatum fuit, num sit venditio, adeoque negotium domini translativum, & JCTis verior *Laut. pag. 392. verb. Hinc transferatur dominium etc.*

Cocc. J. C. P. I.

Ddd ddd

visanum etc.

